

## §. III.

Solvuntur objectiones.

50 Obijcies primo: Generatio in Patre, & nativitas in Filio, habent rationem notionis: Ergo dantur plusquam quinque notiones in Divinis: Consequentia patet, Antecedens probatur. Generatio & nativitas sunt rationes cognoscendi Patrem & Filium, & alias ad dignitatem spectant: quod sufficere ad rationem notionis patet ex dictis: Ergo rationem notionis obtinent.

51 Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem dicendum est, quod ut aliquid obtineat rationem notionis in Divinis, debet esse ratio cognoscendi personam divinam in seipsa: generatio vero & nativitas, cum sint nomina significantia origines in fieri & tendentia, notificent tantum actus notionales divinarum personarum, non vero ipsas personas divinas in se ipsis; & ideo notiones non sunt.

Addo quod, generatio & nativitas possunt considerari, vel in recto; vel in obliquo: primo modo dicunt aliquid absolutum, unde ut sic non possunt esse notiones: secundo modo paternitatem & filiationem, quae sunt duae ex notionibus assignatis, important; & ita sub hac consideratione numerum notionum augere nequeunt.

52 Obijcies secundo: Ratio Verbi & ratio Filii virtualiter distinguuntur in Filio (& idem dicendum de ratione domini & amoris in Spiritu sancto) At ratio Verbi notio est, cum ad originem spectet, & dignitatem importet: ergo dantur in Filio duae notiones, & totidem in Spiritu sancto; & consequenter plures sunt notiones, quam quinque assignatae.

53 Respondeo primo, negando Antecedens: cum enim ratio representationis connotata a Verbo, non distinguatur virtualiter a ratione naturae, quae in conceptu Filii importatur; eo quod illae duae rationes ad eandem lineam intellectuales pertineant; etiam ratio Filii, & ratio Verbi in secunda Trinitatis persona identificentur sine virtuali discrimine, ut in 2. disputatione art. 4. §. ultimo ostensum est.

54 Præterea, Dato & non concessio, quod ratio Filii & Verbi distinguantur virtualiter, quantum ad perfectiones absolutas, quas de connotato important: tamen certum est, rationem Verbi, pro eo quod in recto dicit, nempe relatione, non distinguere virtualiter a ratione Filii: esse autem notionem, non competit Verbo aut Filio connotati, vel absoluti, sed ratione illius quod ab utroque in recto importetur, quod est relatio.

55 Obijcies tertio: Spiratio activa non est notio: Ergo non dantur quinque notiones. Consequentia patet, Antecedens probatur. Notio debet esse proprietatis personalis, nam quod non est proprium, non potest esse ratio cognoscendi personam in sua propria ratione: Sed spiratio activa non est proprietatis personalis: cum duabus personis conveniat, scilicet Patri, & Filio, simul spirantibus & producentibus Spiritum sanctum: Ergo rationem notionis non obtinet.

56 Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem dicatur cum D. Thom. opus. 3. c. 59. proprietatem dici dupliciter: primo absolute, secundo comparative. Sic ribilitas, quae est proprietatis hominis, est proprietatis absoluta; esse vero bipedem, est proprietatis ipsius comparative ad quadrupedem. Ita etiam in proposito, spiratio activa non est proprietatis absoluta, quasi conveniens uni personae, sed comparative in ordine scilicet ad Spiritum sanctum, cui ipsa non convenit.

57 Obijcies ultimo: Innascibilitas in Patre vel sumitur pro materiali, vel pro formali? Si primum, non est notio a paternitate distincta, cum de formali significet paternitatem. Si secundum, notio non est, cum negatio sit, & consequenter dignitatem non explicet, de ratione enim notionis est quod ad dignitatem pertineat, ut supra diximus: Ergo non sunt quinque notiones in Divinis.

58 Huius argumento patebit solutio ex dicendis disputatione sequenti, ubi significatum formale huius nominis *ingenitum*, quod est idem ac *innascibile*, exponemus. Nunc breviter respondeo, eligendo secundam partem dilemmatis. Ad probationem in contrarium dicendum est, ad rationem notionis necessarium non esse quod sit dignitas, sed sufficere quod circumlocutive, & a posteriori dignitatem explicet; sicut nec requiritur quod sit personalitas, sed quod personalitatem notificet. Licet autem innascibilitas ratione sui formaliter dignitas non sit, tamen a posteriori explicat dignitatem personalem primae personae, scilicet auctoritatem principii, per modum capitis & fontis omnium divinarum personarum ut latius expendimus disputatione sequenti.

59 Dices: Si notio in negatione consistere posset, sequeretur plures alias dari notiones, quam quinque enumeratas: nam in Filio negatio procedendi per voluntatem, ut est Patris notio, aliquid positivum importaret. Pro qua sententia recitantur D. Bonaventura, Aureolus, & quidam alii antiqui

*ingenierabilis* appellatur, rationem notionis obtinebunt; & sic ad minus dabantur septem notiones in Divinis: Sed hoc non admittitur a nobis: Ergo &c.

Respondeo negando sequelam Majoris: Inspirabilitas enim nec dignitas est, nec dignitatem denotat. Et idem de ingenerabilitate dicendum: Tum quia, supposito quod aliquid producatur, non dicit, ex nostro modo concipiendi dignitatem, quod careat hoc, vel illo modo productionis: Tum etiam, quia inspirabilitas sumpta ratione sui, creaturis potest competere, & similiter ingenerabilitas; cum creatura non spiretur, & possit produci per actionem quae generatio non sit. Innascibilitas autem, quae in negatione omnis principii consistit, explicat dignitatem, scilicet auctoritatem principii, per modum capitis & fontis omnium divinarum personarum; solumque primo supposito perfectissimam naturam intellectuales competere potest.

Huius discriminis radicem assignavit D. Thom. 1. ad 61. Annibaldum dist. 28. q. 1. art. 1. ad 3. quia scilicet, quo affirmatio est specialior, eo universalior evadit negatio; & e contra quo universalior fuerit affirmatio, eo illius negatio est contrarior: ut constat in negatione animalis, quae limitatur est, & paucioribus convenit, quam negatio hominis; quia animalis affirmatio universalior est affirmatione hominis. Quia ergo inspirabilitas est negatio peculiaris processionis, & ingenerabilitas negatio processionis per intellectum, quae etiam specialis processio est; innascibilitas autem est negatio processionis ut sic; quae universalior est qualibet ex his processionibus; consequens est quod primae negationes universales sint, nec ad intellectuales naturam coarctantur, subindeque dignitatem non denotent; ista autem negatio coarctetur ad naturam intellectuales, & illius dignitatem designet.

## DISPUTATIO VIII.

De Persona Patris.

Ad questionem 33. D. Thomae.

Duo sunt nomina, quae primae personae divinae solent attribui: primum est nomen Patris, quod est tantae religionis & excellentiae, ut Cyrillus in Joan. asserat, hoc praclarissimum nomen magis ei quam Dei titulum convenire: Hoc enim (inquit) dignitatis, illud substantialis significativum est proprietatis. Deum enim si dixeris, rerum omnium Dominum ostendisti: Patrem vero si appellaveris, proprietatem retigisti. Deus dicitur & Dominus; quatenus mundum creavit: Pater appellatur, quia Filium aeternum sibi consubstantialem, & Deum genuit.

Cum hac Cyrilli cogitatione concordat id quod refertur Joan. 20. scilicet Christum apparentem Magdalenae post resurrectionem, iussisse illi ut hac annuntiaret Discipulis: Ascende ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum. Ubi praemittit titulum Patris, eumque Dei titulo anteposit: Quia (inquit Theodoretus) appellatione Patris magis quam Domini delectatur.

Secundum nomen quod primae personae convenit, est nomen ingentis, seu innascibilis, quod etiam summe dignitatis est ac excellentiae: hoc enim nomine designatur, Patrem nudum in Divina personarum Triade, primum tenere originis, sed insuper totius Divinitatis inextingibile esse ac fontale principium. Unde Dionysius in libro de divin. nomina. *Solus sans superlativis deitatis est Pater*. Et Consilium Toletanum sextum: *Conferetur Patrem ingentium, increatum, fontem & originem totius Divinitatis, apud quem non tam paternitas, quam paternitatis principatus*.

Sed advertendum est, hoc nomine non solum negationem generationis strictae sumptae importari (sic enim non est Patri proprium, sed convenit etiam Spiritui sancto, quia ille non est filius nec genitus, nec ejus processio est vera generatio, ut in 2. disp. ostendimus) sed etiam negationem omnis processionis & communicationis ab alio: quo pacto soli Patri convenit, cum ille solus a nullo procedat, & quicquid habet a nullo recipiat.

Circa primum nomen nihil occurrit dicendum. Circa secundum quae solet, ac innascibilitas, quae per hoc nomen; *ingenitum*, significatur, per aliquid positivum, vel pure negativum, in ratione notionis constituitur? Quam difficultatem articulo sequenti breviter resolvemus.

## ARTICULUS UNICUS.

An innascibilitas per negationem, vel per aliquid positivum in ratione notionis constituitur?

In huius difficultatis resolutione tres reperio Auctorum sententias. Prima tenet, innascibilitatem, ut est Patris notio, aliquid positivum importare. Pro qua sententia recitantur D. Bonaventura, Aureolus, & quidam alii antiqui

tiqui Theologi, quos ex modernis secutus est Philippus a S. Trinitate hic disp. 6. dub. 3.

Secunda docet illam constitui in ratione notionis per respectum rationis, qui intelligitur in Patre in eo signo, quo concipitur constitui in ratione personae, & Filii generationem procedere. Ita Vasquez disp. 137. art. 1.

Tertia asserit illam in ratione notionis importare aliquid respectum transcendentalem, quo Pater, tanquam fundamentale Trinitatis principium, indivise Filium & Spiritum sanctum respicit. Ita Alarcon hic disp. 7. c. 1. Pro veritatis declaratione.

6 Dico, innascibilitatem non constitui in ratione notionis per aliquid positivum, sed per negationem omnis processionis vel productionis passivae, quam de formali significat. Ita expresse docet S. Thomas in 1. dist. 28. qu. 1. art. 1. ubi ait: *Licet ingentium nihil ponat quod sit de intellectu ejus constitutivum, non tamen sequitur quod non possit esse notio: quia illud cuius ratio consistit in remotione, operatur per negationem certitatem, sicut ceteris*. Quo nihil clarius & expressius dici potest: unde mirum est quod Philippus a S. Trinitate, hunc locum citet pro sua sententia.

7 Probat etiam conclusio ex eodem S. Doctore hic art. 4. ad 1. ubi postquam relatus sententias illorum, qui dicebant innascibilitatem, prout est Patris proprietatem, vel significare quod a nullo sit, & quod sit principium aliorum, vel universalem auctoritatem, vel fundamentalem plenitudinem, sic concludit: *Et ideo dicendum est secundum Augustinum, quod ingentium negationem generationis passivae importat*. Et paucis interpositis, ait: *Nec propter hoc sequitur quod ingentium non debeat poni propria ratio Patris, quia prima & simpliciter per negationem notificatur*. Ex quibus sic arguo: Primum argumentum D. Thomae intendebat probare, innascibilitatem non esse notionem, eo quod notio ponat aliquid in eo cuius est; ingentium autem nihil ponit, sed removel, cum negationem importet. Cui argumento respondet, quod licet ingentium, seu innascibilitatem, negatio sit, tamen esse potest notio Patris, quia simpliciter per negationes notificatur: At si sentiret, ingentium in ratione notionis, non per negationem, sed per positivum constitui, non sic responderet, sed facilius argumentum solveret, asserendo quod licet negationem significet, non tamen per illam, sed per positivum in ratione notionis constituitur: Ergo innascibilitas, non per aliquid positivum, sed per negationem omnis processionis vel productionis passivae, in ratione notionis constituitur.

8 Secundo probatur conclusio ratione fundamentalis. Ad rationem notionis sufficit, quod notificet aliquid personale, pertinet ad dignitatem, nec requiritur quod ipsa notio, ratione sui dignitas sit: At negatio, significata nomine ingentis, notificat in Patre aliquid pertinet ad dignitatem, scilicet primatum originis, & immediatam terminationem paternitatis respectu naturae divinae, quae dignitas nulla alia proprietate explicatur: Ergo etiam si ratione sui dignitas non sit, erit notio ratione sui. Minor patet, Major autem probatur primo ex doctrina D. Thomae jam adducta. Secundo, quia non magis requiritur ad rationem notionis, quod significet aliquid ad dignitatem spectans, quam quod significet proprietatem personalem; cum primum ex secundo colligatur: Sed ut aliquid notio sit, non requiritur quod ratione sui sit proprietatis personalis: sed sufficit quod proprietatem personalem circumlocutive significet, seu notificet: Ergo etiam non requiritur quod ratione sui dignitas sit, sed solum quod circumlocutive notificet dignitatem. Tercio probatur eadem Major contra Vasquez, argumento ad hominem. Nam ille docet, ut vidimus innascibilitatem in ratione notionis per relationem rationis constitui. Sed relatio rationis, cum nihil reale & positivum sit, ratione sui nullam dicit perfectionem aut dignitatem (est illam notificet aut explicet.) Ergo ad rationem notionis non requiritur quod ratione sui dignitas sit, sed sufficit quod dignitatem explicet, aut manifestet.

9 Denique probatur conclusio specialiter contra Alarcon, destruendo praecipuum ejus fundamentum. In Patre non datur aliquis respectus transcendentalis, quod indivise Filium & Spiritum sanctum respiciat: Ergo innascibilitas per respectum illum transcendentalium non potest in ratione notionis constitui. Consequentia patet. Antecedens probatur. In Patre non datur aliquis unus & communis influxus, quo in Filium & Spiritum sanctum influat: Ergo neque unus respectus transcendentalis, quo indivise utramque personam respiciat. Antecedens est certum: Filii enim adequate procedit per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem, nec datur alia tertia ratio influendi in ipsos. Consequentia vero probatur. Omnis respectus quo in Divinis una persona aliam respicit, five sit transcendentalis, five praedicamentalis, aut quasi praedicamentalis, debet in influxu & origine activa vel passiva fundari: Ergo si in Patre non datur unus & communis influxus, quo in Filium & in Spiritum sanctum influat, non poterit dari unus respectus transcendentalis, quo indivise utramque personam respiciat, ut docet Alarcon,

sed adequate Filium respiciet paternitate, & Spiritum sanctum spiratione activa.

Sed opponit ille Auctor, quod Pater vocatur a S. Patribus *Fontana Divinitatis*, seu *Fundamentale Trinitatis principium*, unde ad notionem Patris pertinet hoc quod est esse principium universale, & veluti primam radicem aliarum personarum: At in ratione principii radicalis Filii & Spiritus sancti, non constituitur per paternitatem & spirationem; cum per illas solum comparatur ad Filium & Spiritum sanctum, ut proximum illorum principium: Ergo per formalitatem aliquam ab illis distinctam, quae cum absoluta non sit, nec sit relatio praedicamentalis, erit utique transcendentalis relatio, quae ut principium radicale indivise utrumque respiciet, & consequenter hac fundabit negationem ingentis, innascibilitatem in ratione notionis constituet.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem. Ad cujus probationem dicendum est, paternitatem posse considerari dupliciter, scilicet ut est relatio, & ut est substantia, seu forma hypostatica, primo terminans & modificans naturam divinam. Sub priori consideratione non constituit Patrem fundamentale Trinitatis principium, seu principium radicale Filii & Spiritus sancti, sed solum illum refert ad Filium: bene tamen sub posteriori, quia ut sic fundat in Patre incapacitatem essendi ab alio, & connotat divinam naturam, ut a se & non ab alio habitam: unde sub hac ratione paternitas de materiali & fundamentaliter hoc nomine, *ingenitum*, prout est Patri proprium, & notio illius importatur.

Dices, Ex hoc sequi innascibilitatem non esse notionem a paternitate distinctam: nam ad constituendam diversam notionem, requiritur conceptus obiectivus virtualiter distinctus, ut disputatione praecedenti dicebamus: Sed paternitas, ut forma hypostatica, non distinguitur, virtualiter a se ipsa ut referente: Ergo si ut forma hypostatica hoc nomine *ingenitum* de materiali importetur, innascibilitas non erit notio a paternitate distincta.

Sed facile responderetur, negando sequelam Majoris: Ad cujus probationem dicendum est, quod ad constituendam diversam notionem, requiritur conceptus obiectivus virtualiter distinctus, sicut ex parte illius quod de formali significat, non tamen semper exigitur, quod virtualiter sit diversus ex parte ejus quod fundamentaliter & de materiali tantum importat, unde cum paternitas, ut gerit munus substantiae & formae hypostaticae, primo modificans naturam divinam, de materiali solum & fundamentaliter hoc nomine, *ingenitum*, prout est Patri notio importetur, illudque de formali significet negationem omnis processionis, seu passivae productionis, quae virtualiter a paternitate distinguitur, innascibilitas erit notio a paternitate distincta.

## DISPUTATIO IX.

De Persona Filii.

Ad questionem 34. &amp; 35. D. Thomae.

Variis in sacris litteris Dei Filius sortitur nomina, quae sub duodenario numero Ambrosius lib. 2. de fide in prologo ex variis tam veteris, quam novi Testamenti locis collegit. Vocatur enim Filius Dei, Verbum, Imago, Idea, Principium, Sapientia, Lux, Candor lucis aeternae, Character, Figura substantiae, Speculum, Veritas. De quibus nominibus haec subiungit idem Ambrosius: *Hi sunt pretiosi illi lapides, Sardinia, Jaspis, Smaragdus, Chrysolitus, & alii, quibus Sancti Aeterni, qui Christi figuram gerunt, vestimentum intertextur. Illic veri amictus est Sacramentis, hic vestis nuptialis, hic textus propheticus, qui bene novit ista contexere*. Filius Dei dicitur, quia ex Deo Patre nascitur. Verbum, quia ex ore Altissimi cum perfecta ejus notitia prodit. Imago, splendor gloriae, & speculum: quia nihil ei deest quominus perfecte Patrem exprimeret possit. Vapor virtutis Dei, quia ejusdem cum Patre naturae. Candor lucis aeternae, quia ei coeternus. Character, a Patre personali differentia, non essentiali perfectione discretus.

Ex his nominibus alia sunt quae respectum dicunt ad Patrem, ut Filius, Verbum, Imago: alia quae relationem ad creaturas expriment, ut Idea, principium, exemplar: alia propria & notionalia, ut Filius, Verbum, & Imago: alia omnibus personis communia, & Filio appropriata, ut lux, virtus, vita, principium, idea, &c.

De his omnibus nominibus non agit D. Thomas in praesenti, sed tantum de duobus praecipuis scilicet de nomine Verbi, & Imaginis: quia (inquit) ratio Filii ex ratione Patris consideratur. Unde huius S. Doctores vestigia inherentes solum de ratione Verbi & Imaginis in hac disputatione differemus.



## ARTICULUS I.

128 *As Verbum ex cognitione omnium personarum divinarum per se procedat?*

**T**ertullianus in Apologetico, agens de aeterna & arcana Christi generatione, & Gentilium Philosophorum, qui ex proprio cerebro tot vana fallorum Deorum fuxere commenta, insipientiam irridens: *Accipite* (inquit) *hanc fabulam, similis est vestris*. Alludit, ni fallor, ad illam fabulam, qua Poeta finxerunt Minervam ex Jovis cerebro produsse. Aliquid enim simile docet fides Christiana, ubi divina generationis pandit arcanum: credit enim increatum aeterni Patris Filium ex fecundissima ejus mente ante secula genitum fuisse, juxta illud divina Sapientia verbum: *Ego ex ore Altissimi prodici*: id est, ex intellectu Patris, qui est veluti es spiritualis substantia. Unde in praesenti inquirunt Theologi, ex quorum objectorum cognitione Verbum Divinum producat? & num ex omnium personarum divinarum notitia per se procedat?

## §. I.

*Quibuscumque praemissis, referuntur sententiae.*

**S**uppono primo, Id per se in quarto modo ad aliquis productionem concurrere, quod per se exigitur ut principium illius: id autem non per se in quarto modo perfectissimum se habere, quod licet sit idem cum principio, a termino tamen non perit ut ejus principium. Sicut Trinitas personarum, est cum divina natura & omnipotentia realiter identificatur, non tamen est per se necessaria quarto modo perfectissimum ad productionem creaturarum: quia illa (ut supra disp. 7. art. 2. ostendimus) per se non perit pro principio sui Deum ut trinum, sed ut unum & omnipotentem.

**S**uppono secundo, Cognitionem ex qua Verbum procedit, esse non solum quidditativam, sed etiam intuitivam, immo & comprehensivam divinae essentiae. Patet etiam hac suppositio: nam Verbum Divinum procedit per cognitionem perfectissimam: Sed cognitio intuitiva perfectior est abstractiva; & illa quae comprehendit objectum, nobilior ea, quae illud solum quidditativam & intuitivam cognoscit: Ergo cognitio ex qua Verbum procedit, non solum est quidditativa, sed etiam intuitiva & comprehensiva.

**A**ddo quod, Verbum Divinum procedit per intelligere primordiale & constitutum divinae naturae: Sed illud non solum est quidditativum, sed etiam intuitivum, & comprehensivum divinae essentiae: Ergo & cognitio ex qua Verbum procedit. His praemissis,

**C**irca praepositam difficultatem quatuor reperio sententias. Prima negat Verbum ex cognitione aliquis personae divinae per se procedere, sed solum ex cognitione essentiae, & perfectionem absolutam. Ita Scotus in 1. distinct. 22. qu. 1. & alibi.

**S**ecunda docet, Verbum per se procedere ex cognitione essentiae, & primae personae, non vero ex cognitione sui, & Spiritus sancti. Ita Puteanus in praesenti dubit. 2. conclusione ultima, & quidam alii, quos sine nomine refert Arrabal disp. 123. cap. 5.

**T**ertia asserit Verbum per se in quarto modo perfectissimum procedere ex cognitione Patris, & sui, non autem Spiritus sancti. Hanc tenet Vasquez disp. 142. cap. 4. quem sequitur Alarcon ejus discipulus, hic disp. 8. cap. 8. pro hac sententia referens Turrianum, Aegidium Lustratum, & alios.

**Q**uarta sententia, quae est communis in Schola D. Thomae & quam sequuntur plures ex Recentioribus, existimat Verbum Divinum ex cognitione omnium personarum divinarum per se in quarto modo perfectissimum procedere. Unde sit

## §. II.

*Sententia Scoti rejicitur.*

**D**ico primo, Verbum per se in quarto modo ex cognitione paternitatis procedere.

**P**robatur primo conclusio ratione manifesta, Verbum per se in quarto modo procedit ex cognitione illorum quae per se representant: Sed per se representant non solum essentiam, sed etiam paternitatem: Ergo per se petit ex utriusque cognitione procedere. Major constat: nam omne per se representatum a verbo creato, debet per se in specie impressa qua intellectus fecundatur representari: Ergo similiter omne representatum per se a Verbo increato, debet representative contineri in cognitione, qua mediante procedit: sicut enim intellectus creatus redditur fecundus per speciem impressam ad productionem verbi, ita intellectus divinus constituitur fecundus cognitione actuali. Minor autem probatur: Verbum Divinum est per se imago, non hujus Dei, prout omnibus personis communis, cum ab illis, prout sic, realiter non distinguitur,

qualiter imago debet a prototypo distingui, sed est per se imago Patris, a quo realiter distinguitur, & a quo realiter procedit: Atqui imago per se representat id cuius est imago: Ergo verbum per se representat non solum Patris naturam, sed etiam ejus paternitatem. Unde Christus dicebat Philippo: *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum*. Et Apostolus ad Hebraeos 1. Filium appellat *figuram substantiae Patris*, sive, ut habet versio Graecae, characterem hypostasis ejus: *καρὰ τὴν τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ*.

**P**robatur secundo conclusio. Verbum Divinum per se procedit ex cognitione comprehensiva divinae essentiae, ut latetur Scotus, & ejus Discipuli: sed essentia divina non potest comprehendi, nisi in illa cognoscatur paternitas: Ergo Verbum Divinum per se procedit ex cognitione illius. Minor probatur: Essentia divina comprehendit non potest, non cognito in illa, & ex illa, quicquid ex vi illius cognoscibile est: Sed in divina essentia, & ex illa, cognoscibilis est paternitas: Ergo nequit comprehendi essentia, cognitione non terminata ad paternitatem.

**R**espondet Scotus: quod licet in essentia divina possit paternitas absolute cognosci, non tamen pro omni signo, pro priori scilicet originis Filii, quia in tali signo & prioritate non est cognoscibilis; unde in tali signo comprehenditur essentia, quavis in ea paternitas non cognoscatur.

**S**ed contra primo: Pro omni priori, & pro omni signo quo divina essentia cognoscitur, debet cognosci ut radix paternitatis; quia hoc essentialiter ei convenit, sicut naturae creatae essentialiter competit esse radicem suarum proprietatum: Sed ut sic cognosci nequit, non cognita paternitate in illa, & ex illa: Ergo paternitas est cognoscibilis in essentia pro omni priori. Major patet, Minor vero probatur. Non minus ad cognitionem radicis ut talis exigitur cognitio radicis, quam ad cognitionem relationis cognitio relativi: radix enim ut talis dicitur ordinem ad illud cuius est radix: Ergo sicut paternitas, ut talis, non potest cognosci, non cognita filiatione ad quam refertur, ita nec essentia divina, ut radix paternitatis, non cognita ipsa paternitate.

**S**ecundo propriori originis Filii intelligitur essentia ut in Patre; non enim nisi prout in Patre cognitio divina est principium, vel actio, qua Filius producat: Ergo pro illo priori paternitas est cognoscibilis in divina essentia. Patet Consequentia: Nam paternitas est cognoscibilis, pro omni priori quo est: Ergo si est pro priori originis Filii, est cognoscibilis pro illo priori.

**E**xplicatur amplius hac ratio. Cognitionis divina non est fecunda ad generationem Filii, prout convenit huic Deo absolute (alias ut fecunda, esset omnibus personis communis) sed prout modificata per paternitatem: Ergo pro omni priori, pro quo fecunda intelligitur, debet intelligi paternitas ut illam modificans: Sed pro omni priori, pro quo intelligitur paternitas, ut modificans cognitionem divinam, est intelligibilis in vi essentiae divinae: Ergo pro omni priori, quo intelligitur Dei cognitio fecunda, paternitas in divina essentia intelligibilis est; & consequenter, non cognita paternitate, non poterit pro illo priori Dei essentia comprehendere.

## §. III.

*Principia objectionum solvantur.*

**O**bjiciunt in primis Scotus: Cognitio non pendet per se ab objecto secundario, sed tantum a primario & specifico: Atqui sola divina essentia est objectum primarium & specificativum divinae intellectus, ex qua Verbum procedit, relationes vero & persona, ad objectum tantum secundarium pertinent, ut in Tract. de attributis docuimus disp. 2. art. 8. Ergo Verbum per se non procedit ex cognitione paternitatis, & aliarum relationum, sed solum ex cognitione essentiae.

**C**onfirmatur & magis illustratur hac ratio. Objectum primarium prius cognoscitur quam secundarium; unde divina cognitio prius terminatur ad essentiam, quam ad paternitatem: Sed in illo priori sufficiens est ad producendum Verbum: Ergo ex illa, prout praecise ad essentiam terminata, Verbum procedit.

**R**espondeo primo, retroquendo argumentum in Adversarios: nam plures ex Scoti Discipulis docent Verbum per se procedere, non solum ex cognitione essentiae, verum etiam attributorum. Sed attributa, sicut & relationes, pertinent ad objectum tantum secundarium divinae intellectus: Ergo ex eo quod relationes ad objectum tantum secundarium divinae intellectus pertinent, non recte infertur Verbum Divinum ex cognitione paternitatis & aliarum relationum non procedere.

**R**espondeo secundo distinguendo Majorem: Cognitio non pendet per se ab objecto secundario: quoniam sine illo objectum primarium potest intuitivum & comprehensive cognosci, concedo Majorem: si sine illo non possit haberi, cognitio intuitiva & comprehensiva objecti primarii, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

sequentiam. Nam licet paternitas & aliae rationes ad objectum tantum secundarium divinae intellectus pertinent: quia tamen cognitio essentiae, quae est primarium ejus objectum, non potest esse intuitiva, nec comprehensive, nisi ad relationes terminetur, ut ostendimus §. sequenti, Verbum Divinum non solum ex essentia & attributorum, sed etiam paternitatis & aliarum relationum cognitione procedit.

**A**d confirmationem distinguo etiam Majorem: Objectum primarium prius cognoscitur quam secundarium, prioritate a quo concedo Majorem: prioritate in quo, subdistinguo Majorem: si secundarium in primario includatur essentialiter, nego Majorem: Si non includatur, concedo Majorem. Unde quavis relationes ad objectum secundarium divinae cognitionis pertineant: quia tamen essentialiter includuntur in essentia, ut ostendimus disp. 3. vel saltem, ut omnes fatentur, cum illa essentialiter connectuntur, essentia non cognoscitur prius quam relationes, prioritate in quo, sed solum a quo, quia est ratio sub qua relationes terminant cognitionem divinam.

**A**rguunt secundo Scoti Discipuli: Verbum solum per se procedit ex cognitione illius quod per se representat; Sed representat tantum essentiam & non paternitatem: Ergo ex cognitione solius essentiae per se procedit. Major est certa, Minor vero probatur. Verbum representat Patrem, ut imago illius: Sed non est imago Patris, ratione paternitatis, sed ratione essentiae; cum solum assimilatur Patri in essentia non vero in paternitate: Ergo per se representat tantum Patris essentiam, non autem paternitatem.

**R**espondeo concessa Majori, negando Minorem. Ad ejus probationem, concedo etiam Majorem, & distinguo Minorem: Verbum est imago Patris ratione essentiae, in adequate, concedo, adequate, nego. Ut enim docet D. Thomas, sequenti art. 1. duo sunt de ratione imaginis, similitudo scilicet, & origo seu expressio: unde imago non solum representare debet id in quo est similitudo, sed etiam id a quo tanquam a principio procedit: & consequenter Verbum, prout imago, non solum representat per se Patris naturam, sed etiam adequatam principium a quo procedit; ac proinde ipsam relationem paternitatis, qua per se requiritur est in principio quo per modum connotati (ut disp. 2. art. 3. docuimus) & in recto in principio quod. Nec ex eo quod solum in natura Verbum sit similitudo, recte colligitur esse imaginem Patris solum ratione naturae; quia ad rationem imaginis non solum exigitur similitudo, sed etiam distinctio.

**N**eque etiam obstat, si dicatur, solum similitudinem esse rationem, quare imago representat exemplar: unde cum Verbum solum in natura Patri assimilatur, solum representabit per se Patris naturam.

**R**espondetur enim, negando Antecedens: nam etiam deductio sine processu imaginis ab exemplari, est ratio cur imago illud representat: principium enim in eo cuius est principium cognoscitur, & Pater se in Filio ut principium Filii cognoscitur, ut docet D. Thomas in 1. distinct. 27. qu. 2. art. 2. ad 4.

## §. IV.

*Sententia Puteani rejicitur.*

**D**ico secundo: Verbum per se in quarto modo ex cognitione sui procedere.

**P**robatur primo: Verbum per se procedit ex cognitione paternitatis, ut §. praecedenti ostendimus: Sed paternitas non potest cognosci, nisi etiam cognoscatur filiatione, eo quod relativa sint simul natura & cognoscione: Ergo Verbum non solum ex cognitione paternitatis, sed etiam ex notitia sui procedit.

**D**ices, Verbum procedere ex cognitione paternitatis; ut est forma hypostatica, non autem ut exercet munus relationis, sub quo solum est simul natura & cognoscione cum filiatione.

**S**ed contra primo: Ex hac responsione sequitur Verbum non procedere ex cognitione Patris, ut Pater est, cuius oppositum docet Puteanus loco citato. Sequela probatur: Pater per paternitatem, sub expresse conceptu relationis, in ratione Patris constituitur: Ergo non cognita paternitate, sub conceptu relationis, non cognoscitur Pater formaliter in quantum Pater, & consequenter Filius ex cognitione Patris, ut Pater est, non procedit.

**P**raeterea, Cum paternitas, ut forma hypostatica & ut relatio, sit vel unus & idem conceptus virtualiter multiplex, vel duo inadequati inter se connexi, ut constabit ex dicendis infra disp. 11. art. 2. quando agemus de constitutivo divinarum personarum, repugnat comprehendi paternitatem sub conceptu hypostatici, illa non cognita sub conceptu relati.

**P**robatur secundo conclusio. Verbum procedit ex cognitione comprehensiva essentiae: Sed hac nequit comprehendere, nisi in illa cognoscatur filio; cum ex vi illius sit cognoscibilis non solum paternitas, sed etiam filio: Ergo Verbum non solum ex cognitione paternitatis, sed etiam filiationis per se procedit.

*Theol. Gener. Tom. II.*

**R**espondebis: Pro priori originis ad Verbum essentiam divinam ut cognitam esse quidem medium sufficiens cognoscendi paternitatem, non tamen filiationem: quia cum filio pro illo priori non sit, cognoscibilis non est: unde pro illo priori non potest comprehendi essentia non cognita paternitate, bene tamen non cognita filiatione.

**S**ed contra primo: Pro illo priori est cognoscibilis essentia ut radix filiationis; cum hoc praedicatum absolutum & essentialiter sit. Sed non potest essentia ut radix filiationis cognosci, non cognita filiatione: quia (ut supra dicebamus) radix ut talis comprehendi nequit, nisi cognoscatur id cuius est radix: Ergo pro illo priori potest in essentia, & ex illa, cognosci filio, & consequenter filiatione non cognita, essentia comprehendi non potest.

**S**ecundo, Prioritas illa non est durationis, immo nec naturae, sed tantum originis: Ergo cum illa fiat simultanea filiationis & paternitatis duratio: & consequenter simultanea utriusque cognitio. Consequentia patebit ex dicendis infra, impugnando sententiam Vasquez.

## §. V.

*Principia Puteani fundamenta convelluntur.*

**O**bjicies primo cum Puteano: Sola intellectio essentiae, prout in Patre, est secunda ad Verbi productionem: Ergo Verbum ex solius essentiae & paternitatis cognitione procedit. Consequentia videtur bona: Antecedens autem probatur ex communi doctrina, asserente intellectionem ad generandum fecundam, non esse communem, sed notionalem, & Patri propriam: Ergo sola intellectio essentiae, prout in Patre, est secunda ad generandum.

**H**oc est praecipuum ac fere unicum hujus Auctoris fundamentum. Sed in hoc hallucinatus est, quod inter substantiam & terminum cognitionis, ex qua Verbum procedit, nescivit distinguere. Unde facile responderet, distinguendo Antecedens: sola intellectio substantiae seu principii fecunda, ly prout denotante substantiam seu terminum cognitionis quae est generandi principium, nego Antecedens, & Consequentiam. Itaque libenter concedimus, quod essentia, & trium personarum cognitio est fecunda solum prout est in Patre non vero prout in Filio & Spiritu sancto: negamus tamen, quod solius essentiae & paternitatis cognitio fecunda sit, & quod illa tantum per se concurrat ad Verbi productionem, nam etiam cognitio Filii & Spiritus sancti, prout est in Patre, & prout paternitate affecta & modificata, est fecunda ut quo, & per se concurrat ad Verbi generationem.

**O**bjicies secundo: Filiatio in eo primo signo, in quod divina intellectio terminatur ad essentiam, non est cognoscibilis: Ergo Verbum ex cognitione illius non potest procedere. Consequentia patet, Antecedens probatur. Notitia intuitiva supponit suum objectum existentem: Sed Filius in illo signo, in quo divina intellectio terminatur ad essentiam, non supponitur existens, cum in tali signo non supponatur productus: Ergo in illo priori notitiam intuitivam terminare non potest; cumque abstractivae cognosci nequeat, in tali signo cognoscibilis non est.

**Q**uidam hoc argumento convicti, docent Verbum non potest procedere ex cognitione sui intuitiva, sed abstractiva. Ita Raphael de Averia hic sect. 3. concl. 5. & quidam alii.

**H**ae tamen doctrina aliis Theologis displicet, & communiter rejicitur. Primo, quia Verbum procedit ex cognitione beatificae Patris: Sed beatitudo Patris in cognitione intuitiva Trinitatis consistit, ut de beatitudine nostra communiter docent Theologi: Ergo Verbum ex cognitione intuitiva Trinitatis, & per consequens sui ipsius, procedit.

**S**ecundo, Verbum procedit ex cognitione intuitiva essentiae: Sed essentia divina non potest in se videri, non visis personis, ut in Tractatu de visione beatifica disp. 5. art. 2. ostensum est: Ergo idem quod prius.

**T**ertio, Verbum procedit ex illa cognitione sui, quam Pater illud generando ei communicat: Ad notitiam sui quam Pater Verbo communicat, non est abstractiva, sed intuitiva; alias Verbum seipsum abstractivae tantum cognoscere: Ergo Verbum ex intuitiva sui cognitione procedit.

**Q**uarto, Objectum abstractivae cognitionis debet ab existentia praescindere: At Verbum ab existentia in Dei cognitione praescindere nequit, cum existentia sit illi essentialis: Ergo non potest abstractivae cognosci.

**D**enique, Ad rationem notitiae intuitivae (ut §. sequenti ostendimus) sufficit coexistentia cum suo objecto, in eadem durationis mensura. At notitia qua Verbum procedit, illi in eodem instanti coexistit: Ergo est intuitiva Verbi. Unde

**A**d argumentum respondeo, negando Antecedens. Ad ejus probationem dicendum est, cognitionem intuitivam supponere suum objectum existentem, quando est pure speculativa, & nullo modo practica, fecus vero quando est eminenti modo speculativa & practica. Patet hoc in scientia visionis Dei, quia quia eminenti quodam modo est speculativa & practica, non supponit, sed facit rerum existentiam.



existentiam & substitutionem: five, ut loquitur D. Greg. Moral. lib. 32. cap. 6. *Non existentia videndo creat, & existentia videndo continet*. Id etiam constat in intellectu creato, qui cognoscendo entia rationis, illa efficit: & quidem actione qua verbum producit, illud videt & contempletur. Cum ergo cognitio, ex qua Verbum Divinum procedit, sit veluti practica respectu illius, non debet supponere illud ut existens, sed potius debet illi tribuere existentiam, illudque videndo producere, ac producendo videre.

## §. VI.

*Sententia Vasquez impugnatur.*

28 **D**ico quarto, Verbum per se in quarto modo ex cognitione Spiritus sancti procedere.

Probatur primo ex D. Thom. hic art. 1. ad 3. ubi ait: *Sic ergo uni soli personae convenit dici, eo modo quo dicitur Verbum: eo vero modo quo dicitur res de Verbo intellecta, quilibet personae convenit dici: Pater enim intelligendo se, & Filium & Spiritum sanctum, & omnia alia quae ejus scientia continentur, concipit Verbum, ut sit nota Trinitas Verbo dicatur*. Ex quibus verbis hoc argumentum conficio. Verbum per se procedit ex cognitione illius quod dicitur, id est representatur, Verbo: Sed Verbo dicitur non solum Pater & Filius, sed etiam Spiritus sanctus: Ergo ex cognitione Spiritus sancti per se procedit.

29 Confirmatur. Hae propositio D. Thom. *Pater intelligendo se, & Filium, & Spiritum sanctum, concipit Verbum, sicut sensum formalem; alias non aliter esset vera quam ista: Pater diligendo se, & Filium, & Spiritum sanctum, concipit Verbum*: quod est absurdum: Sed ut sit in sensu formali vera, necessario exigitur quod Verbum per se ex cognitione Spiritus sancti procedat: Ergo per se procedit ex cognitione illius.

30 Secundo probatur conclusio ratione generali, qua ostenditur Verbum ex omnium personarum divinarum cognitione procedere. Cognitione essentiae divinae, ex qua Verbum procedit, non solum est quidditativa, sed etiam intuitiva, & beatificans, ac comprehensiva: Sed has tres condiciones seu perfectiones habere nequit, nisi ad tres personas divinas per se terminetur: Ergo Verbum per se ex trium personarum cognitione procedit. Major patet ex secunda suppositione. Minor vero probatur, quantum ad singulas partes. Et in primis, quod non cognoscit personam, divina intellectus, ut est in Patre, non possit esse intuitiva essentiae, videtur manifestum: nam cognitio intuitiva in hoc differt ab abstractiva, quod haec fertur solum ad naturam & quidditatem rei, & abstractit ab ejus subsistentia & existentia: illa vero fertur in rem, ut est in se subsistens & existens; unde scientia Dei, prout terminatur ad res mere possibiles, non est intuitiva & visionis, sed abstractiva & simplicis intelligentiae; eo quod res sub statu illo mere possibilitatis abstractant ab existentia, ut docetur in Tract. de scientia Dei: Sed natura divina subsistit & existit in tribus personis: Ergo repugnat cognitionem intuitivam de illa haberi, nisi tres personae divinae cognoscantur.

Quod etiam cognitio ex qua Verbum procedit, non possit esse beatificans, nisi ad tres personas divinas per se terminetur, patet: quia cognitio divina non intelligitur beatificare Deum, nisi ut terminata ad totam Trinitatem, ut docet ipse Vasquez, 1. 2. q. 3. disp. 13. & nos de visione beatifica, quae divina beatitudinis participatio est, in Tract. de visione Dei disp. 5. art. 2. ostendimus.

Denique, quod non possit esse comprehensiva ostenditur. Primo quia ut aliquid comprehendatur, debet cognoscere quiddam in illo, vel ex illo cognoscibile est: At essentia divina est medium, in quo non solum attributa, sed etiam personae divinae cognosci possunt: Ergo illis non cognitis non potest comprehendere.

Secundo, essentia divina comprehendere non potest, nisi ut secunda, & tribus personis communicabilis cognoscatur: Sed ut sic cognosci nequit, non cognitis ipsis personis divinis: Ergo idem quod prius. Major est nota: nam esse communicabilem tribus personis, est prae dictum absolutum divinae essentiae: Ergo implicat essentiam Dei comprehendere, nisi ut communicabilis tribus personis cognoscatur. Minor etiam patet, nam essentia, ut communicabilis tribus personis, essentialiter cum illis connectitur: Sed implicat cognosci comprehensive id quod essentialiter cum alio connectitur, non cognito termino essentialis connexionis, sicut nec relatio sine termino, nec cognitio sine objecto comprehendere possunt: Ergo implicat cognosci essentiam divinam, ut secundam, & tribus personis communicabilem, nisi ipse persona divina cognoscatur.

31 Respondet Alarcon ubi supra: Divinam essentiam esse communicabilem tribus personis ordine quodam, prius scilicet Patri, deinde Filio, ac tandem Spiritui sancto: unde comprehensio terminata ad illam, prius debet istam attingere, prout communicatam Patri & Filio, & ab illa prout sic debet Verbum procedere, pro priori terminationis ad tertiam personam.

Sed contra primo: Hae communicabilis essentialiter tres personae pro termino expolit: Ergo implicat essentiam ut communicabilem comprehendere, non cognitis tribus personis.

Secundo, aliud est naturam esse communicabilem tribus personis cum ordine, & istum ordinem cognosci: aliud vero talem ordinem esse inter cognitionem communicationis essentiae, ita ut prius cognoscatur uni personae communicata, quam alteri. Primum est verum, secundum falsum, nam simul omnino divina cognitio ad essentiam ut tribus personis communicatam terminatur. Ergo non stat Verbum ex cognitione terminationis ad unam personam & non ad aliam procedere.

Tertio, Divina Natura, utpote radix attributorum, est prior illis virtualiter, & tamen inter se ex hac prioritate non licet, cognitionem prout ad essentiam solum terminatam, per se ad Verbi productionem concurrere, cum (ut statuerit Auctores istius sententiae) ex omnium attributorum cognitione Verbum per se procedat: Ergo ex eo quod communicatio essentiae ad primam & secundam personam, sit prior communicatione ad tertiam, non licet colligere ex cognitione essentiae, ut duabus tantum personis communicata, per se Verbum procedere.

Denique: Prius convenit divina essentia Patri quam Filio, & tamen Verbum non procedit per se ex sola cognitione essentiae, ut conveniens Patri: sed etiam illius ut communicatae, ut §. 4. contra Puteanum ostendimus, & concedunt Auctores contra quos in praesenti disputamus: Ergo idem quod prius.

33 Probatur tertio conclusio ratione speciali, qua ostenditur Verbum ex cognitione Spiritus sancti, per se procedere. Pater generando Filium, per se illi communicat non solum naturam, sed etiam virtutem spiritalitatis, & relationem spiritalitatis activae per consequens, generando Filium, talem virtutem & relationem cognoscit: non enim illam communicat nisi cognoscendo, seu nisi per cognitionem, & intelligentiam, qua Filium generat: Sed virtus spiritalis, & relatio spiritalis non possunt cognosci, nisi Spiritus sanctus cognoscatur: Ergo Verbum ex Spiritus sancti cognitione procedit. Major patet, Minor etiam est evidens, quantum ad secundam partem, quod scilicet relatio spiritalis non possit cognosci, nisi Spiritus sanctus cognoscatur: relatio enim spiritalis respicit Spiritum sanctum, tamquam suum terminum & correlativum, relativa autem sunt simul cognitione. Probatur vero quantum ad primam partem, five quoad vim spiritalitatis. Vis spiritalis non potest perfecte cognosci, nisi cognoscatur ut distincta a virtute generativa, & creativa: At qui ille virtutes non distinguuntur entitative, & ex parte subiecti, sed solum terminative, & ratione diversorum terminorum: quia vis spiritalis est solum ad Spiritum sanctum, vis generativa solum ad Filium: & vis creativa solum ad creaturas: Ergo virtus spiritalis non potest perfecte cognosci, nisi Spiritus sanctus cognoscatur.

34 Confirmatur: Sicut enim non potest intelligi, quod Deus alicui det virtutem ad aliquid effectum, nisi cognoscatur talem effectum ad quem datur; nec quod infundat Angelum speciem representativam leonis, nisi cognoscatur leonem: ita etiam repugnare videtur, quod Pater generando Filium virtutem spiritalitatis, five productivam Spiritus sancti, illi communicet: & ipsum Spiritum sanctum, ad quem producendum datur, non cognoscatur.

Respondet Vasquez & Alarcon, ubi supra, hanc rationem solum probare, Verbum, ut Spiritorem, ex cognitione Spiritus sancti procedere, non autem Verbum sub ratione Filii formaliter. Distingunt enim in processione Filii duos conceptus inadquatos: unum quo processio illa attingit Filium in ratione Filii formaliter; & ad hanc terminationem inadquam dicunt non requiri per se cognitionem virtutis spiritalitatis, aut relationis Spiritalitatis, nec proinde Spiritus sancti: alium quo procedit ut Spiritorem, & ad istum, virtutis spiritalitatis, & relationis Spiritalitatis, ipsiusque Spiritus sancti cognitionem per se requiri fatentur.

Sed contra hanc doctrinam & responsum militare videtur definitio Florentina in litteris sanctae unionis, ubi sic dicitur: *Et quoniam omnia quae Patri sunt, ipse Pater unigenito Filio suo generando dedit, prout esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aequaliter habet, a quo aequaliter etiam genitus est*. Quibus verbis Concilium declarat, quod Pater generando dedit omnia Filio, & consequenter, hoc quod est Spiritum sanctum procedere ab eo: Ergo hoc quod est Filium esse Spiritorem, Pater generando communicat Filio; ac proinde in eo signo quo concipitur Verbum generare ut Filium, illud in ratione etiam spiritalitatis producit & cognoscit, cum cognoscendo producat; & per consequens Verbum etiam sub ratione Filii consideratum, ex Spiritus sancti cognitione procedit.

Confirmatur & magis illustratur haec ratio. Ille inadquatus & posterior conceptus, quo dicitur procedere Filius ut Spiritorem, pertinet ad generationem & nativitatem Filii: Ergo implicat Filium ut perfecte & complete genitum cognosci a Patre, nisi etiam ut Spiritorem cognoscatur ab illo.

Conf.

Consequentia patet, Antecedens probatur. Ut enim ex Florentino jam vidimus, Filius per generationem accipit a Patre esse Spiritorem: Ergo cum nondum intelligitur ab illo spiritationem activam accipere, non intelligitur perfecte generari, nec generatio perfecte completa; quia pro alio posteriori, etiam gignendo, Pater dat Filio Spiritorem esse.

## §. VII.

*Solvuntur Objectiones.*

35 **O**bjicies primo: Cognitioni intuitiva terminatur ad objectum ut existens: Sed in illo priori, in quo Verbum a Patre procedit, Spiritus sanctus non existit, cum nondum intelligatur productus, ejusque productio Verbi generationem supponat: Ergo Verbum ex cognitione intuitiva Spiritus sancti non procedit.

Respondet, concessa Majori, negando Minorem: nam productio Verbi, Spiritus sancti processione & existentiam prioritate solum originis antecedit, prioritas autem originis, cum non sit prioritas in quo, sed a quo, non impedit extremorum coexistentiam, nec per consequens rationem notitiae intuitivae. Patet hoc in intelligentia creatis: licet enim intellectus creatus, ut habet rationem dictationis, verbum mentis prioritate naturae & causalitatis antecedit; quia tamen simul in eodem instanti temporis existit cum illo, rationem cognitionis intuitivae continet. Item si potentia viviva esset efficax ad faciendum suum objectum, est pro priori a quo non intelligeretur objectum existens ante visionem; quia tamen poneretur in eodem instanti in quo fieret ipsa visio, tamquam terminus ejus, illa tunc esset notitia intuitiva, quia ad rem ut existentem terminaretur.

Quod potest confirmari, ex eo quod ad notitiam intuitivam non magis requiritur similitudo cum objecto cognito quam ad relationem similitudo cum termino. At non obstant prioritate originis quae in Divinis reperitur, datur relatio Patris ad Filium, & Patris ac Filii ad Spiritum sanctum: Ergo non obstante hac prioritate poterit etiam dari in Patre, generate Verbum, cognitio intuitiva Filii & Spiritus sancti, & per consequens Verbum poterit non solum ex sui ipsius, sed etiam ex Spiritus sancti notitia intuitiva procedere, est Verbi productio prioritate originis Spiritus sancti processione antecedit.

Huic doctrinae & responsioni favet August. 15. de Trinitate cap. 26. ubi sic ait: *In illa summa Trinitate quae Deus est, intervalla temporum nulla sunt, per quae possit ostendi, aut saltem requiri, utrum prius de Patre natus sit Filius, & postea de ambobus processerit Spiritus sanctus. . . . Nunquid ergo possumus querere, utrum jam processerit de Patre Spiritus sanctus, quando natus est Filius, an nondum processerit, & illud natus de utroque processit, ubi nulla sunt tempora: sicut potius querere ubi invenimus tempora, voluntatem prius de humana mente procedere, ut queratur quod inventum prole videretur? . . . Non possumus propterea ista queri ubi nihil ex tempore includatur, ut ex consequenti periciatur in tempore. Quapropter qui potest intelligere sine tempore generationem Filii de Patre, intelligat sine tempore processionem Spiritus sancti de utroque. Quibus verbis declarat, in eodem instanti aeternitatis in quo generatur Verbum, produci etiam Spiritum sanctum; ac proinde processionem Verbi sola prioritate originis & instantis a quo, quae notitia intuitiva non derogat, processionem Spiritus sancti procedere.*

36 Objicies secundo cum Vasquez: Si Verbum ex cognitione Spiritus sancti procederet, esset ejus imago: Sed hoc non potest dici: Ergo nec illud. Sequela Majoris probatur: nam verbum universaliter est imago illius objecti ex cuius cognitione procedit.

Respondet aliqui Verbum non esse imaginem Spiritus sancti, quia licet ex ejus notitia procedat, tamen Spiritus sanctus non est principium Verbi in esse rei, sed in esse intelligibili, five in esse objecti cogniti tantum: At vero ut aliquid sit imago alterius, necesse est ut procedat ab eo tamquam a principio in esse rei.

Sed haec responsio displicet. Tum quia, ut statim dicemus; falsum est Spiritum sanctum habere rationem principii in esse intelligibili, respectu productionis Verbi: Tum etiam, quia licet haec responsio salvet quod Verbum non sit imago naturalis Spiritus sancti, sicut est Patris, non tamen quia sit ejus imago intentionalis; nam Verbum est imago intentionalis objecti, a quo media specie intelligibili procedit. Haec ergo responsio rejecta.

Respondet negando sequelam Majoris. Ad ejus probationem, dicatur Verbum esse solum imaginem intentionalem illius objecti, ex cuius cognitione procedit tamquam principii talis cognitionis, five quod media specie intelligibili movet intellectum ad ejus productionem, non vero illius, ex cuius cognitione tamquam termini solum ipsius intelligentiae procedit. Unde cum Spiritus sanctus non sit principium notitiae, per quam Verbum producit, sed solum terminus ex cuius cognitione procedit; eo quod in Divinis sola essentia gerat vices speciei, & objecti moti.

Thod. Gonet, Tom. II.

vi, respectu intelligentiae divinae, non vero relationes; non potest dici quod Verbum sit imago intentionalis Spiritus sancti, quamvis ex ejus cognitione procedat.

## ARTICULUS II.

*An Verbum per se procedat ex cognitione creaturarum possibilium?*

**N**egant Scotus, Vasquez & Alarcon ubi supra: quibus subscribit Arrubal disp. 123. cap. 5. & 6. Turrianus disput. 28. dub. 3. & Pelantius hic disp. 2. Affirmant vero Thomista, & plures ex Recentioribus, quos citant & sequantur Salmanticenses disp. 12. dub. 2. & Joannes a S. Thom. disp. 15. art. 2. Unde sit

## §. I.

*Conclusio affirmativa statuatur.*

**D**ico igitur, Verbum Divinum per se procedere ex cognitione creaturarum possibilium.

37 Probatur primo ex D. Thom. verbis articulo precedenti adductis, quibus docet: *Patrem intelligendo se, & Filium, & Spiritum sanctum, & omnem creaturam, producere Verbum*. Ubi D. Thom. istis verbis affirmat, Patrem intelligendo creaturas producere Verbum, quibus docet, ipsum intelligendo se, & Filium, & Spiritum sanctum, illud producere: At hoc non solum concomitanter, sed etiam per se in quarto modo perfectitatis est verum, ut articulo precedenti ostensum est: Ergo & illud.

Confirmatur: Verbum Divinum per se procedit ex cognitione illorum, quae ex vi suae processionis exprimit: Sed exprimit non solum essentiam, attributa, & personas, sed etiam omnes creaturas possibiles: Ergo per se ex illarum cognitione procedit. Major patet, Minor probatur ex eodem D. Thom. super caput 1. Joannis lectione 1. ubi ait: *Verbum Divinum est expressivum totius quod in Deo est, nec solum personarum, sed etiam creaturarum; alias esset imperfectum*. Et hic art. 3. docet, quod sicut scientia divina est tantum cognoscitiva Dei, creaturarum autem cognoscitiva & factiva: ita Verbum Divinum est expressivum solum Dei, creaturarum vero expressivum simul & operativum. Et q. 4. de veritate art. 4. ad finem corporis, asserit omnia quae sunt in scientia Patris exprimi per Verbum: in scientia autem Patris continentur non solum personae divinae, sed etiam creaturae possibiles: Ergo Verbum ex vi suae processionis illam exprimit.

38 Probatur secundo conclusio ratione fundamentali. Verbum Divinum per se in quarto modo procedit ex cognitione comprehensiva divina essentiae & omnipotentiae, & per consequens ex cognitione illorum, sine quibus omnipotentia comprehendere non potest: Sed omnipotentia comprehendere nequit, non cognitis creaturis sub ratione possibilium: Ergo per se in quarto modo ex illarum cognitione procedit. Major est certa, & patet ex dictis articulo precedenti. Minor vero, in qua est difficultas, ostenditur primo ex D. Thom. supra q. 14. art. 5. ubi probat Deum alia a se cognoscere, quia se comprehendit ut causam; virtus autem causae comprehendendi non potest, non cognitis effectibus in illa contentis. Quod etiam asserit 1. cont. Gent. cap. 55. ratione 3. Et supra q. 12. art. 3. Et 3. parte q. 10. art. 2. ubi docet, animam Christi in Verbo non cognoscere omnia quae continentur in potentia divina, quia alias illam comprehenderet; cognoscere autem omnia quae sunt in potentia creaturae. Et rationem reddit: *Comprehendit enim in verbo omnis creaturae essentiam, & per consequens potentiam, & virtutem, & omnia quae sunt in potentia creaturae*. Sentit ergo D. Thom. ex cognitione omnium effectuum in causa, inferri comprehensionem causae, & causam comprehendendi non posse non cognitis effectibus in illa contentis.

Secundo suadet eadem Minor. Non stat causam comprehendere, nisi in ea cognoscatur omne, quod in illa & ex illa potest cognosci: Sed creaturae sunt cognoscibiles in omnipotentia divina, cum in illa contineantur perfectissime: Ergo omnipotentia comprehendere non potest, non cognitis creaturis possibilibus.

39 Tertio probatur ratione D. Thom. ubi supra. Virtus causae comprehendere non potest, nisi cognoscatur omnes effectus in tali causa contenti: Sed omnipotentia est virtus operativa Dei, in qua continentur creaturae possibiles: Ergo illis non cognitis comprehendere non potest.

40 Respondet primo Adversarii: Quod sicut ad hoc ut potentia visiva comprehendatur, non est necessarium cognoscere in particulari omnia visibilia ad quae potest se extendere, sed sufficit cognoscere visibile ut sic; & quomoddum Angelus comprehendit proprium intellectum, & tamen non cognoscit omnes cognitiones quas potest habere (alias omnia objecta talium cognitionum cognosceret, & consequenter omnia possibilia) ita Deus potest comprehendere suam omnipotentiam, quamvis in illa non cognoscat omnes



omnes creaturas in particulari, per hoc solum quod cognoscatur factibile & possibile ut sic.

- 41 Sed contra: Licet hoc sufficiat ad comprehensionem potentie visive, aut intellective create, non tamen ad comprehensionem divinam omnipotentiam. Ratio discriminis (qua etiam probatio conclusionis confirmabitur) est quia ut comprehendatur aliqua potentia aut virtus, oportet cognoscere illam in quantum est cognoscibilis, & consequenter attingere ea omnia quae in ipsa continentur, eo modo quo continentur. Est autem haec differentia inter potentiam visivam, & divinam omnipotentiam, quod quia potentia visiva ex propriis meritis non est cognoscitiva omnium visibilium in particulari, sed hoc ipsi convenit per species impressas quibus secundatur, ideo illa non continet ex se aliquam visionem in particulari, sed solum rationem visivam ut sic; unde ut comprehendatur, sufficit attingere visibile ut sic. Ceterum omnipotentia divina continet creaturas, non solum secundum rationes communes & genericas, sed etiam secundum species & individuales, quia cum effectus per se primo illi correspondens, sit ratio universalissima entis, quae in omnibus differentis, non solum specificis, sed etiam indivisibilibus transcendentaliter includitur, est causa productiva omnium creaturarum, etiam quantum ad rationes numericas & individuales.

- 42 Similiter inter angelicum intellectum, & divinam omnipotentiam, notabile intercedit discriminem, quo etiam ratio nostrae conclusionis amplius confirmabitur. Nam intellectus angelicus ratione sui non est causa completa, sed solum incompleta, omnium intellectuum quas elicere potest; cum ratione sui non habeat sibi unitas species omnium possibilem representativas, quae ultra intellectum ad illa cognoscenda requiruntur: omnipotentia vero completissime continet omnes effectus creabiles, sumptos in particulari. Et propterea quamvis intellectus Angelus possit comprehendere, absque eo quod omnes cognitiones in particulari quas elicere potest cognoscatur, non tamen omnipotentia divina, non cognitis omnibus creaturis possibilebus, ad quas potest se extendere.

- 43 Respondet secundo Vasquez: Veram esse maiorem de comprehensione virtutis per se relate ad effectum, falsam autem de comprehensione virtutis per se ad effectum non relate: unde cum divina omnipotentia sit absoluta ab omni respectu ad creaturas, comprehendere potest, etsi creaturas posibles in particulari non cognoscatur. Verum haec responsio & doctrina fusa a nobis impugnata fuit, in Tract. de scientia Dei disp. 2. art. 1. ad quem Lectorem remittimus, ne eadem sepius repetatur.

- 44 Denique alii respondent, Patrem aeternum producendo Verbum, cognoscere quidem omnes creaturas posibles in essentia sua, & in omnipotentia tanquam in causa; hanc tamen cognitionem per se non influere ad Verbi productionem; sed ad illam mere per accidens & concomitantem se habere.

Sed haec etiam responsio confutata manet ex dictis. Cum enim Verbum per se procedat ex cognitione perfectissima, ac proinde comprehensiva divinae essentiae & omnipotentiae, debet etiam per se procedere ex cognitione illorum, sine quibus omnipotentia comprehendere nequit: Ergo si non possit comprehendere, nisi creaturas posibles in illa cognoscatur (ut iam ostendimus) Verbum Divinum ex cognitione creaturarum possibilem per se procedit; illarumque notitia per se influet ad eius productionem, & non mere per accidens, & concomitantem ad illam se habet.

## §. II.

Solvuntur Objectiones.

Obijciunt in primis Adversarii celebre testimonium D. Thomae desumptum ex q. 4. de verit. art. 5. in corp. ubi ait: Verbum principaliter, & quasi per se referri ad Patrem, sed ex consequenti, & quasi per accidens ad creaturas: accidet enim Verbo, ut per ipsum creatura dicatur.

- 45 Respondet quod sicut ly per se potest dupliciter sumi: primo, ut idem significat quod ratione sui: secundo, ut idem sonat, quod essentialiter: ita ly per accidens, quod est contraponitur, dupliciter sumitur: primo modo, ut idem est quod per aliquid: secundo modo, ut idem significat quod accidentaliter. Quando ergo D. Thom. dixit, Verbum per accidens ad creaturas referri, priori modo debet intelligi, quia scilicet Verbum non repraesentat creaturas ratione sui primario, sed secundario, & ratione essentiae prius repraesentatae, non autem posteriori modo.

- 46 Nec obstat quod D. Thom. rationem assignans, cur Verbum non per se, sed per accidens ad creaturas referatur: haec verba subiungit: Accidet enim Verbum, ut per ipsum creatura dicatur: quibus denotare videtur accidentaliter contingere Verbo convenire, quod repraesentet creaturas. Non, inquam, hoc obstat: nam sicut ly per accidens duplicem illam patitur acceptionem: ita etiam verbum accidet. Unde idem fuit dicere, quod accidet Verbo, ac dicere, quod ei non competit per se primo creaturas repraesentare, sed

secundario ex parte obiecti, quia ad illas terminatur mediante divina essentia ut primo repraesentata.

Dices: Si haec interpretatio esset legitima, etiam possemus dicere, accidere Verbo quod repraesentet Patrem: Consequens est falsum, & contra D. Thomam in contextu allegato: Ergo &c. Probatur sequela, Verbum repraesentat Patrem per aliquid, hoc est ratione essentiae prius repraesentatae, quae sicut est primum obiectum cognitionis divinae, ita etiam repraesentationis Verbi: Ergo si dicitur repraesentare creaturas per accidens, quia repraesentat illas secundario, ratione divinae essentiae prius repraesentatae, dicitur etiam repraesentare Patrem per accidens, & illi accidere quod exprimat Patrem.

Respondet negando sequelam, nam licet Verbum repraesentet Patrem, seipsum, & Spiritum sanctum, ratione essentiae: quia tamen haec ab illis est indistincta realiter & formaliter, & illis essentialiter inclusa, non potest dici repraesentare Patrem per accidens, id est per aliquid; bene tamen creaturas, quia illa distinguuntur realiter a divina essentia.

Obijciit secundo Vasquez: Si Verbum ex cognitione creaturarum procederet, sicut esset Verbum creaturarum, ita & illarum imago dici posset: praesertim cum in persona Filii ratio verbi & imaginis non distinguatur virtualiter: Sed Verbum Divinum non est, nec dici potest imago creaturarum: Ergo ex cognitione illarum non procedit.

Respondet negando sequelam Majoris: quia licet ratio Verbi, Imaginis, & Filii, identificentur in secunda Trinitatis persona, sine virtuali discriminem, differunt tamen in modo significandi, & per ordinem ad diversa connotata. Etenim Filius ut Verbum, importat rationem manifestationis: ut Filius processionem & similitudinem, seu identitatem in natura: ut Imago, rationem originis & imitationis: unde quia Verbum Divinum repraesentat creaturas, dicitur illarum verbum; quia tamen non originatur a creaturis, nec imitatur illas, non est, nec dicitur imago creaturarum; sicut nec dicitur illarum filius, quia nec procedit ab illis, nec illis in natura sua specie assimilatur. Ratio autem cur Verbum producat ex cognitione creaturarum, & tamen ab illis non procedat, assignatur a D. Thoma quod 4. de verit. art. 4. ad 7. ubi docet, quod tunc solum verbum ab obiecto dicitur procedere, quando scientia ex qua procedit, a rebus desumitur: unde cum divina scientia, ex qua Verbum Divinum procedit, a creaturis desumpta non sit, Verbum Divinum est verbum creaturarum, non tamen ab illis procedit.

Sed opponit aliquis: Verbum quod format Angelus quando alium intelligit, est imago obiecti cogniti, & consequenter ex obiecto procedit; & tamen species impressa, ex qua tale verbum causatur, non est desumpta ab obiecto, sed infusa a Deo: Ergo verbum est imago obiecti, & procedit ab illo, quamvis scientia ex qua originatur, non sit a rebus desumpta.

Respondet quod licet species impressa, qua unus Angelus alterum Angelum, vel alias res creatas intelligit, non sit desumpta, vel dependens a rebus cognitis, effective; est tamen desumpta, seu dependens ab illis, specificative, specificatur enim ab obiecto repraesentato: scientia autem Dei ex qua Verbum procedit, nec effective, nec specificative a creaturis desumitur, aut dependet: unde dispar est ratio.

Obijciit tertio Vasquez: Id per se quarto modo perfectissimum ad Divini Verbi productionem non concurrat, quod si per impossibile auferretur, Verbum maneret ejusdem rationis ac modo: Sed dato per impossibile, quod haec vel illa creatura quae possibilis est, impossibilis redderetur, Verbum Divinum intrinsece invariatur subsisteret: Ergo possibilitas creaturarum per se in quarto modo ad processionem Verbi non concurrat. Major patet ex supra dictis. Minorem vero probat Vasquez: quia (inquit) ridiculum & absurdum videtur dicere, Deum ideo esse Deum, & ideo Verbum in tali natura & proprietate personali procedere, quia haec vel illa creatura, verbi gratia simia, aut pithecus talis aut talis figura aut coloris, possibilis est: Ergo etiam ridiculum & absurdum erit asserere, quod si haec vel illa creatura quae possibilis est, impossibilis redderetur, Verbum Divinum intrinsece invariatur non maneret.

Confirmatur eadem Minor: Deus cum sit primum ens, ita ex se perfectus est, ut nulla ad sui consuetudinem aut perfectionem creatura indigeat: Ergo licet aliqua creatura ex his quae modo sunt posibles, impossibilis redderetur, Deus semper maneret, Deus & Verbum Divinum intrinsece invariatur subsisteret.

Confirmatur amplius: Magis necessarium a minus necessario dependere non potest: Sed necessitas processionis Verbi, major est necessitate possibilitatis creaturarum: cum illa sit necessitas entis a se, haec vero necessitas entis dependentis ab alio: Ergo Verbum in sui productione a possibilitate creaturarum dependere non potest: Ergo nec ex illarum cognitione procedere.

Ad objectionem respondet, concessa Majori, negando Minorem. Ad cuius probationem dicatur, verum esse Antecedens, si illa particula ideo dicat causam a priori, cur Deus

Deus sit Deus, aut cur Verbum in tali natura aut proprietate procedat; falsum autem si dicat signum a posteriori, & terminum necessariae connexionis, quae reperitur inter possibilitatem creaturarum, & existentiam Dei, ac Verbi Divini productionem. Unde

- 56 Ad primam confirmationem, concessa Antecedente, nego Consequentiam: quia Deum non fore Deum, si creaturae posibles implicarent, non provenit ex indigentia quam Deus habet creaturarum, sed ex summa perfectione & fecunditate Dei, & ex dependentia creaturarum ab ipso. non enim esset Deus, si omnipotens non esset, & inhinc fecundus ad extra; nec hoc posset esse, si repugnarent creaturae posibles: unde negatio Divinitatis ex negatione omnipotentiae & fecunditatis radicalis ad extra, tanquam a causa vel ratione a priori proveniret, ex repugnantia autem creaturarum, non ut a causa, sed ut a signo, inferente a posteriori negationem omnipotentiae, & fecunditatis radicalis ad extra.

Ad secundam confirmationem respondeo; concedendo totum primum argumentum, & negando ultimam consequentiam. Ut enim Verbum Divinum ex cognitione creaturarum possibilem per se procedat, non requiritur quod ab illis dependeat, seu quod illis indigeat; sed solum quod cum illis necessario connectatur: licet autem magis necessarium a minus necessario dependere non possit, potest tamen cum illo per se connecti, & illud ad sui consistentiam exigere. Sicut necessitas principiorum major est necessitate conclusionis, & tamen cum illa taliter per se connectitur, quod si per impossibile conclusio redderetur falsa, falsificarentur principia, & illorum veritas deficeret: alias posset in bona consequentia Antecedens esse verum, & Consequens falsum.

Dices: Eo ipso quod Verbum Divinum ita necessario cum possibilitate creaturarum connectitur, ut sine illa subsistere nequeat, a creaturis dependet: Ergo si dependentia a creaturis Verbo Divino repugnet, illi etiam repugnabit necessaria cum illis connectio. Consequentia patet, Antecedens probatur. Id ab alio dependet, quod si ne illo nequit subsistere: Ergo si Verbum Divinum sine possibilitate creaturarum subsistere non possit, ab illis ut possibilebus dependet.

Confirmatur: Ea mutuo inter se dependent, quae mutuo sese inferunt & auferunt: Sed data necessaria connectione inter productionem Verbi Divini, & creaturarum possibilem, sese mutuo inferunt & auferunt: Ergo mutuo inter se dependent.

Respondet negando Antecedens: ad cuius probationem, nego Majorem. Unum enim relativum sine alio nequit subsistere, & tamen non dependet ab illo; alias relativa simul natura & cognitione non essent. Ad dependentiam ergo requiritur, quod unum non possit sine alio subsistere, ratione subordinationis ad illud: hoc autem non convenit Verbo Divino, respectu creaturarum possibilem; quod enim sine illis subsistere nequeat, non est ratione subordinationis ad illa, sed potius ratione dependentiae creaturarum possibilem ab omnipotentia.

Ad confirmationem distinguo Majorem: Si mutuo se inferant & auferant a priori, concedo Majorem: si unum a priori, & aliud a posteriori: nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Etenim possibilitas creaturarum non inferat a priori existentiam omnipotentiae, sed solum a posteriori, & a signo, ut iam explicatum est.

Quarto arguit Scotista. Divina cognitio prius intelligitur terminata ad essentiam, quam ad creaturas sub esse possibili: Sed pro illo priori est secunda ad productionem Verbi: Ergo Verbum ex illa prout sic terminata procedit, & consequenter non procedit per se ex cognitione possibilem. Probat Majorem, Essentia divina est obiectum primum divinae cognitionis, creatura autem obiectum secundarium: Sed cognitio prius intelligitur terminata ad obiectum primum, quam ad secundarium, cum hoc ratio illius terminet cognitionem: Ergo cognitio divina prius intelligitur terminata ad Dei essentiam, quam ad creaturas posibles.

Hoc argumentum confirmat, eo quod principium infinitum movens ad duos terminos, quorum unus finitus est, & alter infinitus, prius ad infinitum quam ad finitum moveat, utpote cum infinitum sit illi magis connaturalis: Sed divina essentia, ut fecundans intellectum Patris, est principium infinitum movens ad dictionem Verbi, quod est terminus finitus, & ad cognitionem creaturarum: quae sunt aliquid finitum: Ergo prius movet ad dictionem Verbi quam ad cognitionem creaturarum; & consequenter dictio Verbi prior est cognitione creaturarum.

Ad objectionem respondeo, negando Majorem. Ad probationem, concessa Majori, distinguo Minorem, illamque concedo de prioritare a quo virtuali obiectiva; nego autem de prioritare in quo, etiam rationis, quando obiectum secundarium essentialiter cum primario connectitur, & ad istius comprehensionem requiritur illius cognitio; qualiter in praesenti contingere constat ex dictis. Unde

Theol. Concl. Tom. II.

Ad confirmationem, distinguo Majorem. Principium infinitum movens ad duos terminos, &c. prius ad infinitum quam ad finitum movet: Si ad eius comprehensionem cognitio termini finiti necessaria non sit, concedo Majorem. Si ad eius comprehensionem termini finiti cognitio requiratur, nego Majorem. Unde cum Verbum Divinum ex cognitione comprehensiva essentiae procedat, & essentia ut gerens vices speciei intelligibilis & prout intellectum divinum, ut est in Patre, ad dictionem seu productionem Verbi fecundat, comprehendere nequeat, nisi creaturae posibles in illa ut in causa cognoscantur; dictio seu productio Verbi in Deo, non est prior cognitione creaturarum possibilem, sed potius possibilem cognita in essentia divina tanquam in causa, prioritare a quo productionem Verbi procedunt.

Arguunt rursus Scoti Discipuli: Spiritus sanctus non procedit ex amore creaturarum possibilem: Ergo nec Verbum ex illarum cognitione. Antecedens est certum, & confirmabitur ex dicendis disputatione sequenti: Consequentiam vero non aliter probant, quam ex paritate rationis.

Sed negatur illa Consequentia & paritas: Ratio discriminis est, quia omnipotentia divina, ut comprehensa in ratione cognoscibilis, cum creaturis possibilebus necessario connectitur, eo quod de conceptu comprehensionis sit terminari ad obiectum, cognoscendo quicquid est in illo cognoscibile, creatura autem posibles sunt cognoscibiles in omnipotentia Dei. Haec vero ut amabilis, etiam amore comprehensivo, non connectitur cum creaturis possibilebus: quia in illo statu non sunt capaces terminandi amorem divinum, ut in Tract. de voluntate Dei disp. 2. art. 4. ostensum est: De ratione autem amoris comprehensivi solum est attingere in obiecto amato quicquid in illo, & ratione illius, diligibile est. Sed de hoc rursus redibit sermo disputat. seq.

Dices, Omnipotentia divina ut cognoscibilis, non connectitur essentialiter cura creaturis possibilebus in particulari, sed solum cum ente creabili & possibili ut sic: Ergo non valet assignatum discriminem. Consequentia patet, Antecedens probatur. Nulla potentia ut cognoscibilis, per se connectitur cum termino materiali, sed tantum cum formali: At ens creabile, ut sic est terminus formalis divinae omnipotentiae, creatura vero in particulari sunt terminus tantum materiali: Ergo, &c.

Respondet distinguendo Antecedens: Omnipotentia divina ut cognoscibilis solum quidditative, non connectitur cum creaturis possibilebus in particulari, concedo Antecedens. Ut cognoscibilis non solum quidditative, sed etiam comprehensive, qualiter cognoscitur ab intellectu divino, nego Antecedens. Ad cuius probationem similiter dicendum est, ad cognitionem quidditativam potentiae sufficere cognitionem termini vel obiecti formalis: ad comprehensionem vero requiri cognitionem omnis termini, vel obiecti, etiam materialis, in illa contenti.

## ARTICULUS III.

An Verbum Divinum per se procedat ex cognitione futurorum?

## §. I.

Referuntur sententiae, & vera eligitur.

In huius difficultatis resolutione triplex versatur sententia. Prima absolute affirmat Verbum Divinum ex cognitione futurorum procedere. Sic Valentia q. 8. de Trinit. punct. 2. Ruiz disp. 63. sect. 4. Zuniga disp. 9. dub. 7.

Secunda docet illud per se procedere ex cognitione futurorum contingentium sub conditione, secus vero futurorum in statu absoluto. In hanc sententiam inclinare Molinam circa hunc articulum, testatur Arrubal; illamque tueri debent omnes scientiae mediae assertores, si velint loqui consequenter ad sua principia, ut patebit ex infra dicendis.

Tertia defendit, Verbum Divinum ex nullius futuri cognitione procedere. Hanc tenent communiter nostri Thomistae, quos sequuntur plures ex Recentioribus, cum quibus

Dico primo, Verbum Divinum ex cognitione futurorum absolutorum per se non procedere.

Hanc conclusionem probant aliqui, ex eo quod processio Verbi est prior in Deo decreto libero, & scientia visionis, per quam Deus futura absoluta cognoscit. Haec tamen ratio non videtur efficax: quia actus notionales & necessarii non sunt priores liberis prioritare in quo (in ordine saltem ad intellectum divinum) sed solum prioritare a quo, ut frequentius docent nostri Thomistae in materia de scientia Dei, & eruditae probant Salmanticenses in Tract. de scientia Dei disp. 7. dubio 4. prioritare autem a quo, cum non sit prioris existentiae, aut durationis, sed solum causalitatis, vel originis, non impedit coexistentiam extremorum, nec rationem notitiae intuitivae, ut supra art. 1. §. ultimo docuimus: Ergo quod processio Verbi sit prior in Deo decreto libero, & scientia visionis, non obstat quod futurorum cognitio per se concurrat ad Verbi productionem.



72 Confirmatur: Cognitio ex qua Verbum procedit, prius proprietate a quo terminatur ad Filium, quam ad Spiritum sanctum; & prius ad essentiam & attributa, quam ad creaturas possibiles; & tamen hac prioritas non obstat, quin Verbum ex cognitione Spiritus sancti, & creaturarum possibilium per se procedat, ut articulis precedentibus ostensum est: Ergo quod actus necessarii, prioritate a quo libera Dei decreta, & rerum futuritionem precedant, non impedit quin Verbum ex futurorum cognitione procedat. Hac ergo ratione prænmissa,

73 Probatur primo conclusio fundamentali. Cum processio Verbi sit absolute necessaria, non facit est, ut aliquod obiectum per se ad illam concurrat, quod illud sit cognoscibile, & de facto cognoscatur ab intellectu divino, in eo signo in quo Verbum procedit: sed insuper requiritur, quod sit absolute necessarium, seu quod habeat necessariam connexionem cum essentia divina, quæ est obiectum primum & formale intellectus divine: Sed futura contingentia (supposito enim libero divine voluntatis decreto, a quo futuritionem habent) non sunt simpliciter & absolute necessaria, sed tantum secundum quid, & ex suppositione decreti, nec habent necessariam connexionem cum divina essentia, ut ex se patet: Ergo Verbum Divinum ex illorum cognitione non procedit.

74 Confirmatur: Illud per se ad productionem Verbi Divini non concurrat, quod si auferretur, Verbum maneret omnino invariabile, & ejusdem rationis ac antea: Sed sublata a Deo futurorum contingentium cognitione, Verbum Divinum omnino invariabile subsisteret: Ergo illa per se ad ejus productionem non concurrat. Major patet, Minor vero suadet primo ex Anselmo in Monol. cap. 30. ubi sic ait: *Sive Deus cogitur nulla alia existente essentia, sive alia existentibus, necesse est Verbum illius coexistere illi, esse cum ipso.* Et cap. 31. *Si nihil unquam aliud esset, nisi summus ille Spiritus, ratio rapen cogit, Verbum illud quo se dicit, ex necessitate esse.* Ubi aperte docet Anselmus, etiam si nihil esset futurum, Verbum Divinum omnino invariabile manens: At si nihil esset futurum, nullius futuri cognitio esset in Deo: Ergo sublata in Deo futurorum contingentium cognitione, Verbum Divinum omnino invariabile subsisteret.

Secundo probatur eadem Minor: Divina voluntas ex suppositione quod creatura sint futura, non immutatur, aut aliter se habet, ac se haberet ex suppositione quod non essent futura; decretum enim a quo res habent futuritionem, nullam in voluntate Dei inducit mutationem: At divina voluntate invariata manente, debent etiam intellectus Dei, & Verbum per illum productum, invariata subsistere: quia propter naturalem sympathiam, & summam colligationem voluntatis & intellectus Dei, nec non Verbi per illum producti, nequit aliqua variatio intrinseca esse in aliquo istorum, nisi alia etiam intrinsece varietur: Ergo sublata a Deo futurorum contingentium cognitione, Verbum Divinum omnino invariabile subsisteret.

75 Probatur secundo conclusio: Ut Verbum ex cognitione futurorum procederet, deberet hac scientia prius origine convenire Patri, quam Verbo: Sed prius origine Patri convenire non potest: Ergo nec Verbum ex futurorum cognitione procedere. Major patet, Minor probatur. Cum scientia futurorum sit innoxia decreto, ut in Tract. de scientia Dei disp. 4. artic. 6. probatum est, eodem modo de illa philosophandum est, ac de ipso decreto: Sed libera divine voluntatis decreta, prius origine non conveniunt Patri; sicut enim actiones ad extra sunt toti Trinitati communes, ita & decreta libera indivisa sunt, & tribus personis communia, ac proinde non prius uni quam alteri competunt: Ergo pariter scientia liberorum, innoxia decreto, ac in eo fundata, non convenit prius Patri quam Filio.

76 Tertio suaderi potest conclusio ex fundamentis articulo precedenti statuta. Illud solum per se ad Verbi productionem concurrat, quod per se essentialiter requiritur, ut cognitio ex qua procedit sit infinita & comprehensiva: Sed ad hoc essentialiter non requiritur, quod ad futura contingentia terminetur: Ergo Verbum non procedit per se ex illorum cognitione. Major patet ex supra dictis, Minor vero probatur. Ut Deus se ipsum comprehendat, sufficit quod perfectissime penetret suam omnipotentiam, & in illa cognoscat quicquid per illam potest producere; nec per se requiritur quod cognoscat futura, alias si Deus decrevisset nullam creaturam producere (in quo casu nulla creatura esset futura, ac proinde non esset in Deo cognitio futurorum) non posset se ipsum comprehendere, quod est absurdum.

77 Respondet Ruiz ubi supra: Quod etsi ad cognitionem comprehensivam Dei, absolute & simpliciter non requiratur cognitio creaturarum futurarum; bene tamen ex suppositione quod sint futura; & ideo ex suppositione decreti, a quo res habent futuritionem, Verbum per se ex futurorum cognitione procedere.

78 Sed hac responsio vim argumenti non infringit: Quia, ut dicebamus, illud solum per se ad Verbi productionem

potest concurrere, quod per se & essentialiter requiritur, ut cognitio ex qua procedit sit infinita & comprehensiva: Ergo si cognitio futurorum ad cognitionem comprehensivam Dei absolute & simpliciter non requiratur, sed tantum per accidens, & ex suppositione decreti, & futuritionis rerum, cognitio futurorum ad productionem Verbi per se non potest concurrere, sed addo illum mere per accidens & concomitantem se habet. Ad id quod, cum productio Verbi Divini sit simpliciter & absolute necessaria, per se non potest pendere ex aliqua suppositione libera & contingenti, qualis est suppositio divini decreti, & futuritionis rerum.

Dices secundo: Verbum Divinum non procedere per se ex scientia futurorum conditionatorum: si tamen in Deo admittatur scientia media, seu cognitio futurorum conditionatorum, a decreto independens, illoque anterior, negari non potest Verbum Divinum ex illorum cognitione procedere.

Prima pars hujus conclusionis patet ex dictis in precedenti: Verbum enim Divinum, cum sit in sua entitate omnino necessarium, nec possit non esse in Deo, ex aliqua scientia libera, & qua potuit absolute Deo non convenire, non potest per se procedere: Sed cognitio futurorum contingentium conditionatorum est omnino libera (cum liberam divine voluntatis decretum, non minus quam scientia futurorum absolutorum, supponat) & potuit absolute Deo non convenire, ut in Tract. de scientia Dei ostensum est: Ergo Verbum Divinum ex illa per se non procedit.

Altera vero pars breviter suadet: Ut aliquod obiectum per se ad Verbi productionem concurrat, duo tantum requiruntur, nempe quod sit cognoscibile in eo signo in quo Verbum procedit, & quod sit absolute necessarium: Sed utrumque convenit futuris conditionatis, si illa sint futura ante decretum & prædeterminationem divine voluntatis: Ergo admittitur scientia media, sequitur Verbum Divinum ex futurorum cognitione procedere. Major patet, Minor etiam quantum ad primam partem est evidens: quia in signo antecedenti decretum concipiuntur actus rationales & necessarii, & consequenter processio Verbi: Ergo si in tali signo res contingentes sint sub conditione future, & habeant veritatem obiectivam determinatam (ut docent assertores scientie medie) sunt cognoscibiles ut futura ab intellectu divino, in eo signo in quo Verbum a Patre procedere intelligitur.

Quantum vero ad secundam partem (quod nimirum futura conditionata sint absolute necessaria, si independentes a divino decreto, & in signo rationis illud antecedente, sint determinate futura) fuisse probata est conclusio in Tract. de scientia Dei disp. 4. art. 4. §. 3. Tum quia jam erunt futura ante primum principium, & primam radicem totius libertatis & contingentia, atque ex vi & natura oppositionis contradictoria, quæ est causa necessaria necessitate absoluta: Tum etiam, quia erant futura pro omni signo & instanti imaginabili, ut ibidem late expendimus: Ergo admittitur in Deo scientia media, negari non potest, Verbum ex futurorum conditionatorum cognitione procedere. Unde Molina qui hoc admittit (ut testatur Arriaga) magis consequenter ad sua principia philosophatur, quam alii defensores scientie medie, qui hoc negant.

## §. II.

*Solvuntur argumenta in contrarium.*

Contra precedentes conclusiones obijciunt in primis 84 Adversarii testimonium August. 15. de Trinit. cap. 13. & 14. ubi docet Verbum Divinum esse de omnibus, quæ sunt in scientia Dei. Et Divi Thom. hic art. 2. ad 3. afferentis quod Pater intelligendo se, & Filium & Spiritum sanctum, & omnia alia quæ in ejus scientia continentur, concipit Verbum. Atqui creatura, non solum ut possibiles, sed etiam ut futura, in scientia Dei continentur: Ergo verbum non solum ex cognitione possibilium, sed etiam ex scientia futurorum procedit.

Ad Augustinum respondeo, Verbum Divinum esse de omnibus quæ sunt in scientia Dei, etiam de contingentibus: representant enim non solum possibilia, sed etiam futura; quamvis non sit ortum ex futurorum scientia, sed illa mere concomitantur & veluti accidentaliter ad ejus productionem se habeat.

Ad D. Thomam dicatur, illum ibi loqui de scientia Dei 84 naturali, & necessaria, quæ scientia simpliciter intelligitur appellatur, quæ non se extendit ad res contingentes & futuras, sed tantum ad possibilia terminatur.

Nec obstat quod idem S. Doctor infra q. 37. art. 2. ad 3. ait, Pater dicere omnia Verbo, sicut diligit omnia Spiritu sancto; ex quo inferunt Zuniga, ipsum intelligendum esse de scientia futurorum & existentium, ad quæ dilectio, ex qua Spiritus sanctus procedit, terminatur. Nam illa comparatio D. Thom. non debet tenere quantum ad omnia (alias sequeretur quod Verbum ex scientia possibilium non procederetur, eo quod Spiritus sanctus, ut disputatio sequenti ostendimus, ex illorum amore non procedat)

cedat) sed valet solum quantum ad hoc, quod dictio qua Verbum produciatur, ad naturam & existentiam terminatur, sicut & dilectio ex qua Spiritus sanctus procedit: quamvis hæc terminatio, nec ad Verbi productionem, nec ad processionem Spiritus sancti per se concurrat, sed ad utramque mere concomitantem se habeat.

85 Obijciunt secundo, Verbum per se in quarto modo procedit ex cognitione comprehensiva essentie: At hæc, supposito decreto de creaturis futuris, per se petit terminari ad illas: Ergo tali decreto supposito, Verbum per se procedit ex noticia futurorum. Major est certa, Minor probatur. Comprehensio est cognitio objecti, & omnium quæ in illo sunt cognoscibilia: At supposito decreto de existentia futurorum, illa sunt cognoscibilia in essentia divina: Ergo tali decreto supposito, comprehensio essentie per se petit terminari ad futura.

86 Confirmatur: Verbum debet in actu secundo exprimere ac representare omnia objecta, quæ ab essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, & principii quod habet intellectionem, veluti in actu primo representantur: Sed supposito decreto, essentia divina ut gerens vices speciei intelligibilis, & ut habet rationem principii quod habet intellectionem, est per se representativa non solum rerum possibilium, sed etiam futurarum: Ergo supposito decreto, Verbum non solum possibilia, sed etiam futura per se representat.

87 Ad objectionem respondeo, distinguendo Majorem: ex cognitione comprehensiva essentie, ut terminata ad objecta necessaria, seu cum ipsa essentia divina necessario connexa, concedo Majorem: ut terminata ad objecta libera, & cum essentia divina necessario non connexa, nego Majorem. Unde cum essentia divina sit necessario connexa cum creaturis possibilibus, non vero cum futuris, cognitio comprehensiva illius per se petit ad possibilia, non vero ad futura contingentia terminari.

88 Vel secundo responderi potest, concessa Majori, negando Minorem: ad cuius probationem, distinguo Majorem. Comprehensio est cognitio objecti, & omnium quæ in illo sunt cognoscibilia, per se & ratione alicujus formalitatis necessaria, concedo Majorem. Per accidens, & ratione alicujus suppositionis, ut formalitatis, libera & contingentis, nego Majorem. Scilicet distinguo Minorem: supposito decreto futura sunt cognoscibilia in essentia, ratione alicujus formalitatis necessaria, nego Minorem: Ratione alicujus formalitatis ut suppositionis libera & contingentis, concedo Minorem, & ad consequentiam. Solutio patet ex supra dictis, ad comprehendendum enim aliquam penitentiam, sufficit quod cognoscatur objecta, quæ per se & necessario in illa continentur, nec requiritur quod illa ad quæ per accidens & contingentem se extendit, attingantur. Unde, ut supra dicebamus, si Deus decrevisset nihil ad extra producere, nihil ut futurum cognosceret, & tamen perfectissime suam omnipotentiam comprehenderet, videndo infinitas creaturas possibiles, quæ in illa ut in causa eminentissimo modo continentur.

89 Ad confirmationem, concessa Majori, neganda est Minor: cum enim res ut future, non sint cum divina omnipotentia necessario connexa, creatura ut possibiles, essentia divina, ut habet rationem speciei intelligibilis, & principii quo divine intellectionis, non est per se representativa futurorum contingentium, sed per accidens tantum & concomitantem; quatenus scilicet ei veluti accidentaliter seu contingentem advenit liberum divine voluntatis decretum: unde cum Verbum Divinum, ex vi suæ processionis, illa solum objecta representet, quæ per se in essentia, ut gerente vices speciei intelligibilis, & intellectum Patris secundante, continentur; futura contingentia per se & ex vi processionis non exprimit, sed illorum cognitio ad eas productionem mere per accidens & concomitantem se habeat.

90 Obijciunt secundo Adversarii, & insunt contra solutionem jam datam. Verbum Divinum de facto representat & exprimit creaturas, non solum ut possibiles, sed etiam ut futuras: Sed talis expressio ac representatio illi convenit ex vi processionis: Ergo ex vi illius representat creaturas, non solum ut possibiles, sed etiam ut futuras. Major est certa, Minor probatur. Quidquid Verbum habet, accipit a Patre per æternam generationem, juxta illud Christi Jo. cap. 17. *Omnia mea, tua sunt.* Et illud cap. 7. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Sed quidquid Verbum accipit a Patre per æternam generationem, habet ex vi suæ processionis: Ergo expressio & representatio futurorum, ex vi suæ processionis illi convenit.

91 Respondeo concessa Majori, negando Minorem. Ad cuius probationem, nego prius Minorem. Nam etsi Verbum omnia quæ habet, habeat per suam processionem, non tamen omnia habet ex vi suæ processionis, sed aliqua per suam processionem identice tantum & concomitantem illi conveniunt. Sicut disp. 2. dicebamus, quod licet Spiritus sanctus per suam processionem habeat naturam divinam a Patre & Filio communicatam, illam tamen non accipit ex vi suæ processionis, sed concomitantem tantum & identice, Thel. Smet, Tom. II.

in quantum amor seu impulsus, quem ex vi suæ processionis recipit, realiter identificatur cum natura divina.

Dices: Filio ex vi suæ processionis formaliter solum con-99 venit natura divina, non vero attributa; cum sola natura sit formalis & primarius terminus divine generationis; & tamen per se procedit, non solum ex cognitione essentie, sed etiam attributorum: Ergo quamvis libera representatio futurorum, illi non competat primario ex vi processionis, sed tantum secundario, debet tamen ex cognitione illorum procedere.

Respondeo: Attributa communicari Filio ex vi processionis, per se secundario; & idcirco procedere ex cognitione illorum: representationem autem rerum futurarum & existentium, quia ab aliqua suppositione libera & contingenti dependet, per accidens solum competere Verbo; & ideo illud per se procedere ex cognitione attributorum, & creaturarum possibilium, sine quibus divina omnipotentia comprehendendi non potest; non vero ex cognitione futurorum, quæ cum divina omnipotentia, aut aliis attributis, necessariam connexionem non habent.

## §. III.

*Duo corollaria naturæ digna.*

EX dictis inferes primo, Verbum Divinum per se pro-94 cedere ex cognitione divinorum decretorum sub conceptu entitatis, per accidens vero, sub conceptu terminationis ad creaturas.

Patet hoc corollarium: quia Verbum per se procedit ex cognitione essentie, ut terminata ad formalitates necessarias, seu necessario cum essentia connexas; per accidens vero, seu concomitantem, ex cognitione illius, ut terminata ad formalitates liberas, & cum essentia necessario non connexas: Sed libera Dei decreta, sub conceptu entitatis increate quam explicant, necessaria sunt, & cum essentia divina necessario connexa, deficiabilia vero seu contingentia, sub conceptu terminationis ad creaturas; cum sub illa ratione & formalitate poterint in Deo non esse, ut in Tract. de voluntate Dei disp. 3. art. 2. fuisse explicatum est: Ergo etc.

Inferes secundo, plures esse distinguendas terminations 95 in intellectione, per quam Verbum produciatur. Prima est ad essentiam divinam, ut ad ejus obiectum formale & primum: secunda ad attributa, & relationes, ut ad proprietates, vel modos objecti formalis & primarii: tertia ad creaturas possibiles: ultima ad res existentes & futuras. Tres primæ per se & ex vi processionis Verbo Divino conveniunt; quarta vero solum concomitantem: & veluti per accidens. Unde si per impossibile aliqua ex tribus primis tolleretur, Verbum Divinum, vel omnino destrueretur: vel mutaretur intrinsece: secus vero, si ultima terminatione careret.

## ARTICULUS IV.

*An proprie, & perfecte, ac soli Filio, ratio imaginis conveniat in Divinis?*

TRia, ut patet, in hoc articulo inquirimus. Primum, an ratio imaginis vere & proprie Filio Dei competat? Secundum, an perfecte in illo reperitur? Tertium, an illi tantum, non autem Spiritui sancto conveniat?

## §. I.

*Præmissum unum quod apud omnes est certum, ex quo inferuntur quedam corollaria.*

SUPponendum est ex D. Thom. hic art. 1. & infra quest. 93. 96 art. 1. & 2. ad veram & propriam rationem imaginis duo requiri. Primum est similitudo, non quæcumque, sed perfecta: id est quæ sit in specie, aut saltem in signo speciei, quale est figura in rebus corporalibus; similitudo enim in gradu generico, aut analogo, vel etiam in accidentibus communibus, non sufficit ad rationem imaginis, unde vermiculi in homine producti, non sunt ipsius imaginis, nec etiam paries albus est imago hominis albi. Secundum quod ad propriam rationem imaginis requiritur, est expressio, seu origo ab eo, cujus dicitur imago, unde unum ovum, quamvis perfecte simile alteri, non est imago illius, quia non est ab illo expressum seu productum, ut ex Augustino ibidem refert S. Thomas. Ex hac suppositione

Inferes primo, quod sicut triplex potest reperiri simili-97 tudo ab alio expressa, scilicet in re artificiali, intentionali, & naturali: ita triplex potest dari imago, nimirum artificialis, ut statua, vel tabella: intentionalis, ut species impressa, & expressa; & naturalis, ut filius respectu patris.

Inferes secundo, quod tanto perfectior est imago, quan-98 to perfectior est similitudo procedens ab alio: unde imago artificialis est omnium imperfectissima, quia importat similitudinem in aliqua tantum qualitate, quæ designat rationem